

opes & Episcopis semper formidanda potentia fuit. Certè Baduradus (quod omnes prisci Auctores memorant) puer Carolo M. à Saxonum gente obses inter ceteros nobilium adolescentes datus , quem Carolus Herbipolim D. Burchardo educandum formandumque Christianis moribus transmisit. Inde eadem , quâ Hathumarus forte (quam divinam potius dixeris providentiam) non modò à primis adolescentiæ annis Christi religione imbutus ; sed, quod ad felicitatem accessit, in clerum etiam cooptatus, à D. Burchardo ejusq; successore Megingaudo Episcopo, ceterisque Magistris in collegio clericorum , quod Herbipoli florentissimum erat , excultus est ; hausitque cum scientia sacrarum literarum disciplinam religiosæ vitæ, quam Magistri ejus à sancto Bonifacio ac reliquis Apostolicis viris didicerant. Fuitque Badurado primus imitandi ardor tam generis nobilitas, quàm Magistrorum sanctissimorum & collegarum exemplum ; tum vel maximè , cum socialem in communi vitam clerici haud secus quàm Monachi colerent.

Auctor vita Ludovici Pii.
Ob præclaras virtutes acceptus Imperatori.

Parochias & gymnasium Paderbornæ instituit.

Quapropter ob egregias, quæ in illo conspiciebantur, virtutes, è clero Herbipolensi in Episcopum electus est. Inde commendatus Ludovico pio, à primo congressu in intimam Imperatoris familiaritatem pervenit. Quod cum acta Liboriana rectè testantur factum Ludovico Pio Imperatore, perperam Auctor vitæ Meinwerci adscribit Carolo M. qui jam anno superiori è vivis abierat, ut Baduradum Episcopum videre non licuerit. Res deinde præclare ab eo gestæ in Episcopatu, mirificè eum commendârunt Imperatori, æstimavitq; is virum præ ceteris Saxoniae Episcopis. *Et Baduradus, ut acta Liboriana proloquuntur, tanquam ad hoc sibi datam divinitus excellentiam animadverteret, nihil sui laboris studiique subtraxit ab acquirendis et procurandis omnibus, quæ ibidem ad divina laudis augmentum, ad utilitatem Christiani populi noverat pertinere. Hæc illi cura prima imminebat, Ecclesias per omnem parochiam suam sub celeritate construere. Principalem verò Basilicam ingenti decore et grandi opere extollere: res omnes ad eam pertinentes modis variis adornare: augmentare clerum: disciplinam monasterialem instituere: pueros tam nobiles, quàm inferioris conditionis in scholam congregatos in divina legis eruditione nutrire. Quod ejus laudabile studium ita felix comitabatur profectus, ut verè illum ad hoc à Deo præsignatum, et rudimentis ejus loci cœlitus concessum dicere valeamus.* Hæc priscus certusq; scriptor ex recenti hujus Episcopi memoria in actis Liborianis, quæ & Auctor vitæ Meinwerci ex eo retulit. Multa his paucis Baduradi elogia, præclaraque non minus pietatis monumenta recognoscis. Nam & Basilicam, quam Hathumarus unà cum collegio clericorum eduxerat, Baduradus absolvit. Et cleri numerum disciplinamque intra communis vitæ societatem in uno claustro, mensa & choro impensè auxit. Uti id Hathumarus cœperat, & in concilio

concilio